

probatione ætatis hominis: hæc enim commodius potest probari per domesticos, quam per extraneos. Farinacius n. 112, et concordant dicta superius n. 106. Item parte non opponente admittitur, ac probat testis domesticus; sicut et in factis antiquis; ac in quibus veritas aliter haberi non potest, juxta ea, quæ in simili habentur supra n. 117, et seqq., et nonnullis aliis, de quibus fusc Farinacius, et Mascardus, ubi supra. et alii ab istis copiose citati.

§ V.

DE TESTIBUS INHABILIBUS AD TESTIFICANDUM CONTRA CERTAS PERSONAS; PUTA, DE INIMICIS, ET DE PARENTIBUS ADVERSUS LIBEROS SUOS, AC JUDEIS ADVERSUS CHRISTIANOS, ETC.

32. *Inimicus adversus eum, cum quo gerit inimicitiam, testimonium ferre non potest.* — Quæritur I. An, et quando testimonium inimici repellatur? Resp. I. Inter eos, qui arcentur dicere testimonium contra certas personas, cum primis numerantur inimici: nam inimicus adversus eum, cum quo gerit inimicitiam, testimonium ferre non potest. Textus est in l. III, ff. h. t. quæ est canonizata in c. *Si testes*. § *Testium fides*. 4. q. 3, ubi inter alia testem a ferendo testimonio repellentia, explorandum dicitur, « An ei inimicus sit, adversus quem testimonium fert. » Concordat c. *Cum oporteat*. 19. de *Accusatione*. et Auth. *de Testibus*. § *Si vero quis dicat*. collat. 7, et can. *Accusatores, et testes*. 3, q. 5. In quo posteriori loco S. Anacletus papa epist. 3. cap. v, ita scripsisse refertur: « Accusatores, et testes esse non possunt, qui ante hesternum diem, vel nudius tertius inimici fuerunt; ne irati nocere cupiant, vel læsi se ulcisci velint. » Quibus verbis, ut aliæ concordantiæ taceantur, redditur ratio datæ conclusionis: quia videlicet testimonium inimici redditur suspectum, eo quod animo nocendi, aut ulciscendi se de suo inimico procedere, sicque falsum esse præsumatur. Atque ideo jure gentium rejicitur testimonium inimici, ne exinde condemnari contingat etiam innocentes. Menochius, de *Arbitrar. judic.* lib. I. q. 28, n. 4 et seqq.; Mascardus, de *Probat.* concl. 463, n. 31 et concl. 901, n. 1 et seqq.; Farinacius, de *Testib.* quæst. 53, n. 3, et communis aliorum.

133. *Etiam loquendo in criminibus exceptis.* — Atque hæc conclusio ampliatur, ut procedat

etiam in criminibus exceptis, ut puta, hæresis, læsæ majestatis, aliisque talibus gravissimis delictis: nam etiam in talibus inimici non admittuntur in testes contra suos inimicos, per textum in c. *Per tuas*. 32. § *Nos vero. de Simonia*; Mascardus, d. concl. 901, n. 2; et Farinacius, ead. q. 53, n. 5 et seqq., citans plurimos alios.

134. *Etiam in factis exceptis, ac difficilius probationis.* — Ampliatur ulterius in delictis et factis occultis, ac difficilius probationis, aliisque causis privilegiatis: quia etiam in talibus testimonium inimicorum non admittitur; et si secus fiat, non solum non probat plene, aut semiplene, sed nec facit indicium, aut præsumptionem quamdam: alioquin enim, si possint testificari contra suum inimicum in factis occultis, ampliorem viam haberent evomendi virus concepti odii in ipsum. Menochius, de *Arbitrar. judic.* cit. quæst. 28, n. 5; Pirhing h. t. num. 53; Farinacius d. quæst. 53, n. 7 et 12, allegans plurimos alios cum communi: qui tamen quæst. 62, n. 283, hanc suam sententiam, seu quod testis inimicus examinatus, cum examinari non debuisset, nullum faciat indicium, intelligi vult de inimicitia capitali. Quod ut melius intelligatur,

135. *Intelligendo istud quoad causas civiles de inimicitia gravi, seu capitali.* — Resp. II. Nihilominus proxime data conclusio est intelligenda dumtaxat de inimicitia gravi, seu capitali: juxta Glossam in cit. can. *Si testes*. § *Inimicus*. 4. q. 3. et aliam Glossam c. *Per tuas*. 32. juncto textu ibid. § *Inimicitias capitales. de Simonia*. Secus, si nulla intercedant capitales inimicitie: quia propter alias non repellitur quis a ferendo testimonio, etsi minor fides eidem adhibeatur, Auth. *de Testibus*. § *Si vero quis dicat*. collat. 7. et ibi Glossa § *Non adsit*, et seqq. et Glossa cit. c. *Per tuas. de Simonia*; Mascardus, d. concl. 463, n. 34, et alii.

136. *In causis tamen criminalibus, quælibet inimicitia, etiam levis, testem repellit.* — Fatendum tamen, quod istud posterius procedat solum in causis civilibus. Siquidem in causis criminalibus (seu, in quibus venit imponenda poena mortis naturalis, aut civilis, vel mutilatio membri) testes debent esse omni exceptione majores, ac omni suspitione, maculaque carere, cap. 1. de *Exceptione*. cum concordantiis: atque ideo quælibet inimicitia, etiam levis, illos repellit a testificando. Farinacius, cit. quæst. 53, n. 53; Pirhing h. t. n.

54. Imo in causis quoque civilibus, etsi levis inimicitia non repellat quempiam a testificando, nihilominus admissus non censetur testis idoneus, sive talis, qui faciat semiplenam probationem: sed ei de fide diminuitur tantum, quantum patitur qualitas inimicitie prudenti judicis arbitrio. Menochius cit. quæst. 28, n. 5; Farinacius, ubi supra, n. 54, allegans communem aliorum, paucis exceptis, qui voluerunt, tales esse testes idoneos.

137. *Fallit istud in inimico reconciliato; et quando?* — Resp. III. Ulterius data conclusio prima patitur alias quasdam limitationes. Et quidem imprimis ea fallit in inimico reconciliato: nam hoc ipso amplius non censetur inimicus, sicque admittitur ejus testimonium. Intellige, si est reconciliatus ab antiquo signaque concordie et reconciliationis præcesserunt: secus enim est dicendum, si sit reconciliatus de recenti, ita ut adhuc odium, et animum nocendi retinere præsumatur, can. *Accusatores et Testes*. 3. q. 5. quod judicis arbitrio relinquatur discernendum; Mascardus cit. concl. 901, n. 9; Farinacius d. q. 53, n. 58, et alii.

138. *Fallit in inimico utriusque partis.* — Fallit deinde in inimico utriusque partis: nam sicut par affectio testem non repellit, arg. l. *Non solum*. § *De uno. ff. de Ritu nuptiar.*; ita nec eum repellat par odium. Farinacius ibid. num. 86, cum plurimis aliis.

139. *Testis inimicus probat contra producentem.* — Ulterius testis inimicus probat contra producentem. Generaliter enim, qui testes producit, censetur illos approbare; atque ideo hi probant contra ipsum, etiamsi alias forent inhabiles, l. *Si quis testes*. juncta Glossa § *Excipere*. C. h. t. et can. *Si testes*. § *Si quis testes*. 4. q. 3; Farinacius, ead. quæst. 53, n. 71 et 72, citans alios, et nonnullas alias fallentias adducens.

140. *Inimicitia testis non præsumitur, sed est probanda ab allegante.* — Solum nota, quod inimicitia testis probanda sit ab allegante: non enim præsumitur inimicitia, veluti existens contra jus naturale. Mascardus, de *Probat.* concl. 900, n. 1 et 3; Farinacius, lib. I. *Praxis criminal.* quæst. 49, num. 126, et alii. Quin imo præsumi debet quis bonus, et amicus, donec contrarium probetur: quia hæc est præsumptio nature, quæ inter nos cognationem quamdam constituit; ac proinde consequens est, hominem homini insidiari nefas esse, l. *Ut vim. ff. de Just. et jur.*

141. *Ad eam probandam sufficiunt conjectu-*

re. — Porro ad probandam inimicitiam sufficienti conjecturæ, dummodo causæ illæ, ex quibus oritur conjectura, seu præsumptio juris de inimicitia, evidenter ac manifesto probentur: alioquin enim non censeretur probata inimicitia. Farinacius cit. quæst. 49, n. 129 et 131, sic concordans diversas doctorum sententias. Quia enim inimicitia consistit in affectione animi, aliter quam conjecturis probari non poterit. Abbas c. *Repellantur*. num. 2. de *Accusat.*; Mascardus d. concl. 900, num. 5.

142. *Et quales?* — Tales autem conjecturæ, ex quibus jus præsumit inimicitiam, etiam capitalem, oriuntur ex lite omnium, vel majoris partis honorum, per alterum sibi mota, c. *Frequens*. § *Illum autem. de Restitut. spoliat.* in 6. Item ex spoliatione unius magnæ quantitatis pecuniariæ, vel alterius magnæ rei, puta, ex detentione terræ alienæ, c. *Item cum quis*. 6. de *Restitut. spoliat.* in 6. et c. *Accedens*. 4. *Ut lite non contestata*, etc.; Farinacius cit. quæst. 49, n. 2 et seqq.; Mascardus d. concl. 900, n. 9 ac seqq. Et ratio ulterior est: quia bona temporalia, præsertim in tam magna quantitate, vita hominis dicuntur, l. *Advocati*. juncta Glossa § *Vitam. C. de Advocatis divers. judicior.*; et tradit Baldus l. *In tuis. C. de Oper. libertor.*; Mascardus loc. cit. n. 8.

143. *Et quales?* — Deinde probatur, atque præsumitur inimicitia, etiam capitalis, eo quod quis occiderit meum consanguineum; item, quod quis vitæ meæ insidias paraverit; aut minas de occidendo sparserit, præsertim si potens est, ac solitus exequi minas; quin etiam ex verbis injuriosis poterit desumi capitalis inimicitia, arg. c. *Veniens*. 16. de *Jurejurand.*, ac notat Baldus ibid. numer. 5. Item, si quis est amicus, vel affinis inimici mei; vel qui frequenter cum inimico meo habitat. Item præsumitur inimicus meus, qui inimicus est fratris, affinis, vel socii mei, ac hujusmodi; prout fusius declarant Mascardus, et Farinacius, ubi supra. Quanquam judicis arbitrio esse relinquendum, quænam in his vel illis casibus, atque circumstantiis, conjecturæ sufficiant ad repellendum testem, veluti inimicum, recte notat Glossa in c. *Cum oporteat*. § *Inimicos, de Accusatione*; Menochius, de *Arbitrar. judic.* l. II, cas. 140, n. 2; Mascardus, d. concl. 900, n. 14, asserens, in hoc omnes residere.

144. *Parentes adversus liberos suos, et econtra, testes esse non possunt.* — Quæritur II. Utrum parentes adversus liberos suos, et econ-

tra, sint admittendi ad testimonium? Resp. I. Parentes adversus liberos suos, et vicissim liberi adversus parentes, in judicio testes esse non possunt. Textus est in l. *Parentes*. C. h. t. quæ est canonizata in can. *Si testes*. 4. q. 3. ibi: «Parentes, et liberi invicem adversus se nec volentes ad testimonium admittendi sunt.» Idque merito statutum fuit, hinc ob dilectionem, quam jure naturali, ac divino, tenentur parentes exhibere liberis suis, illinc ob reverentiam parentibus debitam a liberis: hæc enim læderetur per testificationem adversus se in judicio factam, contra jus naturale, et quantum præceptum Decalogi.

145. *Idemque dicendum de liberto, respectu patroni.* — Atque hoc ipsum ampliatur ad libertum respectu patroni: nam ob consimilem reverentiam et gratitudinem, quam libertus debet suo patrono ipsum in libertatem redigenti, nec volens, nec invitus, in testem contra eundem admittitur, can. *Episcopus, qui mancipium*. 12. q. 2. ubi sermo est de Liberto per Ecclesiam manumisso: et l. *Libertorum*. C. h. t., ubi non solum libertus contra patronum testificari non cogitur, sed testificans punitur.

146. *In causis matrimonialibus admittitur testimonium parentum adversus liberos, in gradu prohibito contrahere volentes. Adeo, ut ad testimonium solius matris non prohibeantur matrimonium contrahere.* — Resp. II. Data conclusio procedit quidem regulariter, patitur tamen quasdam limitationes. Et primo quidem in causis matrimonialibus, quando agitur de impediendo matrimonio per liberos contrahendo. Nam, quia tunc agitur de reverentia sacramenti matrimonii, saluteque animæ, ac vitando peccato liberorum; simulque parentes (imo, servata proportione, etiam consanguinei) melius præ cæteris nosse præsumuntur parentelam, sive gradus consanguinitatis, et affinitatis suorum; ideoque ad dictum unius eorum non modica datur præsumptio, quod contrahere volentes se linea consanguinitatis attingant: recte testimonium patris vel matris admittitur adversus liberos suos, in gradu prohibito matrimonium contrahere volentes, can. *De parentela*. 35. q. 6. et c. *Licet ex quadam*. 47. h. t. Adeo quidem, ut ad testimonium solius matris, quæ prolem suam, matrimonio jungendam cum alio, confitetur huic esse consanguineam, matrimonium inter hos contrahi prohibeatur, c. *Super eo*. 22. h. t.

147. *Secus dicendum de matrimonio jam con-*

tracto, quod ad dictum solius matris non dissolvitur; et quæ ratio disparitatis? — Additur notanter, «matrimonio jungendam.» Nam secus est dicendum de matrimonio jam contracto: istud enim nequam est dissolvendum ad dictum solius matris, sed opus est legitimo plurium testimonio, qui juridice deponant, eos qui putantur conjuges, esse consanguineos, aut alio impedimento dirimente laborare; prout expresse habetur decisum in cit. c. *Super eo*. h. t. Ratio disparitatis est, quia, ubi agitur de matrimonio jam contracto dissolvendo, nempe ob impedimentum dirimens postea cognitum, agitur tum de reverentia et validitate sacramenti matrimonii, seu ne illos, quos Deus conjunxit, homo non separet; contra illud Salvatoris *Marc.*, x. 9; tum de magno præjudicio ipsorum conjugum, acceptarumque prolium, si denuo ab invicem separarentur: talia autem incommoda non sequuntur, si impediatur dumtaxat matrimonium inter aliquos contrahendum. Accedit, quod multa impediunt matrimonium contrahendum, quæ non dirimunt contractum, c. *Quemadmodum*, 25. de *Jurejurand.*

148. *An testificatio parentum in causis matrimonialibus admittatur pro favore liberorum? Remissive.* — An autem, et quando testificatio parentum in causis matrimonialibus admittatur pro favore liberorum, jam dictum est supra § 4. num. 109 et seqq. Hinc enim sermo est de testimonio parentum adversus liberos, seu in præjudicium ipsorum, et e contra.

149. *Parentum testimonium contra filios, et e contra, admittitur in crimine læsæ majestatis, hæresis, etc. Filii nascuntur patriæ; et magis, quam parentibus.* — Fallit ulterius data conclusio in crimine læsæ majestatis, hæresis, et aliis hujusmodi exceptis, et atrocissimis criminibus. Nam in his admitti testimonium parentum contra filios, et e contra, ex eo suadet: quia filii nascuntur patriæ, seu reipublicæ, l. I. § *Quamvis sit*. ff. de *Ventre inspiciend.* et l. I. § *Et generaliter*. ff. de *Ventre in possess. mittend.* Et quidem magis, quam parentibus, ut inquit Glossa in cit. § *Et generaliter*. § *Reipublicæ*, id probans ex l. *Postliminium*. § *Filius*. ff. de *Captivis et postlimin. revers.*, cum similibus. Unde non mirum, quod in crimine læsæ majestatis, et aliis exceptis, ac reipublicæ summe perniciosos sceleribus admittatur testimonium filii contra patrem, et e contra. Ad hoc ipsum facit Glossa in cap. I. § *Et christiani*. de *Conversion. infidel.*, in simili asserens, quod pugnantem pro patria,

et fide, pater in filium, et filius in patrem insurgere debeat. Mascardus concl. 463. n. 9 et 10; Farinacius d. quæst. 54. n. 173 et 174, et alii.

50. *Item, quando utraque pars consentit.* — Fallit rursus, si utraque pars, pater videlicet et filius consentiat, ut unus volens contra alterum examinetur, atque deponat: quia concurrente voluntate utriusque nihil adest, quod tale examen impediatur, cum quælibet pars favori suo renuntiare possit. Farinacius loc. cit. num. 176; Pirhing h. t. n. 65. Quamvis Zoesius tit. de *Testib. cogend.* n. 4. asseret, quod filius contra patrem etiam volentem audiendus non sit, cum lex non distinguat, sed simpliciter audiri nolit, l. *Parentes*. C. de *Testib.*

151. *Aut, si veritas aliter haberi non potest.* — Idem dicendum, si veritas aliter haberi non potest: quia tunc parentes contra filios, et e contra, ad testificandum quoque a iudice compelli possunt. Farinacius ibid. numer. 171 et 172; Jul. Clarus in *Practic. criminal.* lib. V. § fin. quæst. 24. numer. 22. Qui tamen recte notat, quod iudex, quantum fieri potest, debeat abstinere ab examinandis testibus, qui de jure contra reum non possunt compelli ad testificandum; et si casus occurreret, quod veritas aliter haberi nequeat, simulque crimen sit atrox, iudex prius consulat principem antequam parentes contra filios, aut hujusmodi examinet.

152. *Quæritur ad testificandum in judicio contra chrisianos admitti non debent.* — Quæritur III. Utrum sit admittendum testimonium Judæorum adversus christianos? Resp. I. Judæi ad testificandum in judicio contra christianos admitti non debent. Textus est in can. *Non potest*. 2. q. 7. addita ea ratione: tum quia «non potest erga homines esse fidelis, qui deo extiterit infidus.» Et infra loquendo de illis Judæis, qui post fidem Christi, dudum acceptam, quam tamen postea prævaricati sunt, se christianos esse dicunt. «Quia, sicut in fide Christi suspecti sunt, ita et in testimonio humano dubii habentur. Infirmari ergo oportet eorum testimonium, qui in fide falsi docentur, nec eis est credendum, qui veritatis a se fidem abjecerunt.» Hæc ibi. Concordat textus in l. *Quoniam*. C. de *Hæretic.*, cum concordantiis: estque communis et indubitata sententia, prout testatur Farinacius quæst. 56. de *Testib.* num. 205, citans alios.

153. *Ampliatur istud ad paganos, hæreticos, etc.* — Atque hæc conclusio ampliatur ad

paganos, hæreticos, et quoscumque alios infideles. Hi enim omnes, dum testantur contra catholicos, sunt de veritate suspecti: Nam ex quo sunt Deo infideles, non præsumuntur fideles esse hominibus, veram fidem Dei profitentibus; atque ideo a testimonio contra catholicos judicialiter ferendo repelluntur, can. *Pagani*, et can. *Si hæreticus*. 2. q. 7. et can. *Ipsa pietas*. 23. q. 4. et cit. l. *Quoniam*. C. de *Hæretic.* cum similibus.

154. *Imo et ad Judæos, aliosque infideles, noviter ad fidem catholicam conversos.* — Ampliatur ulterius ad Judæos, aliosque infideles, noviter ad fidem catholicam conversos: nam etiam isti repelluntur a testimonio contra catholicos ferendo in judicio, prout desumitur ex can. *Constitut.* 17. quæst. 4. juncta Glossa ibid. § *Qui ex Judæis*; Farinacius d. quæst. 56. numer. 208; Mascardus, de *Probat.* conclus. 946. numer. 3; Pirhing h. t. numer. 61, et alii. Ratio est, tum quia in simili inimicus noviter reconciliatus repellitur a dicendo testimonio, can. *Accusatores et testes*, 3. quæst. 5. estque paulo superius dictum numer. 137; tum quia tales appellantur neophyti, qui veluti multa adhuc indigentes probatione, juxta monitum Apostoli 1. *Timoth.* III, 6, a susceptione ordinum repelluntur, can. 1. dist. 48. sicque pariter repellendi sunt a ferendo testimonio: nam hæc duo quoad propositum æquiparantur, cap. ult. h. t. illis verbis: «Ab accusatione, ac susceptione ordinum repellantur.»

155. *Tamen in instrumentis, contractibus, et testamentis, iidem admittuntur.* — Intellige tamen datam conclusionem una cum suis ampliationibus, de testimonio a Judæis contra christianum ferendo in judicio ad dirimendas lites. Siquidem in instrumentis, contractibus, et testamentis eorum testimonium non est interdictum, «sed propter utilitatem necessarii usus eis sine ulla distinctione admittitur, ne probationum facultas angustetur:» prout loquitur imperator in cit. l. *Quoniam*. C. de *Hæretic.*, et amplius declarat Glossa fin. et Bartolus ibid.; Baldus in l. *Cunetos populos*. C. de *Summa Trinitat.*; Mascardus d. concl. 946. n. 11; Farinacius, cit. q. 56. n. 221, allegans alios.

156. *Sicut et in criminibus exceptis.* — Limitatur eadem conclusio in criminibus exceptis; sicut et in casibus, in quibus veritas aliter haberi non potest. arg. c. *In fidei*. 6. de *Hæretic.* in 6. Ubi excommunicati, et participes, et socii criminis, ad testimonium admittuntur contra

alios hæreticos, fautores, receptores, et defensores eorum; « præsertim in probationum aliarum defectum: si ex verisimilibus conjecturis, et ex numero testium, aut personarum tam deponentium, quam eorum, contra quos deponitur, qualitate, ac aliis circumstantiis, sic testificantes falsa non dicere præsumantur. » Hæc ibi. Concordat c. *Contra christianos*. 13, eod. in 6, ac tradit Mascardus cit. concl. 946, n. 9; Pirhing h. t. n. 62; Farinacius d. quæst. 56, n. 227, allegans alios. Quanquam statim n. 228, subjungat, quod tunc Judæus, aliusve infidelis, non sit testis integræ fidei, atque omni exceptione major, neque faciat plenam probationem, sed indicium ac præsumptionem solum; prout et allegatus textus c. *In fidei. de Hæretic.* in 6, clare supponit.

157. *Testimonium christianorum indistincte admittitur contra Judæos.* — Objicies majoris claritatis gratia contra datam conclusionem: Testimonium christianorum indistincte admittitur contra Judæos; ergo etiam vicissim testimonium Judæorum contra christianos recipiendum est. Antecedens patet ex c. *Judæi*, 21, h. t., ubi Alexander III, in concilio Lateranensi sic decrevit: « Testimonium quoque christianorum adversus Judæos in omnibus causis (hoc est, tam in civilibus,

quam criminalibus), cum illi adversus christianos testibus suis uti præsumant, recipiendum esse censemus. » Concordat Clem. *Cum Judæi*, eod.

158. *In judiciis servanda est æqualitas.* — Consequentia vero probatur: quia in judiciis servanda est æqualitas; ut cap. II, *de Mutuis petition.*, etc. *Cum inter. 3 de Exceptionib.*, et I. *In sacris scriniis militantes. §. Et quoniam. C. de Proximis sacror. serinior.* Ubi dicitur: « In controversiis, quas in judiciis moveri contigerit, æqualitatem litigatoribus volumus servari, et adversariis eorum, » cum similibus. Resp. concesso antecedente, negando consequentiam.

159. *Et qualiter istud sit intelligendum?* — Ad hujus probationem dicitur cum Glossa in cit. Clem. *Cum Judæi*, §. *Juri.* h. t., quod æqualitas illa, quæ in judiciis observanda est, respiciat personas actoris, et rei; ita videlicet ut regulariter « non liceat actori, quod reo licitum non existit, » prout loquitur reg. 32 jur. in 6. Non vero æqualitas illa debet respicere personas testium, alioquin enim sequeretur, quod cum vir probus, ac fide dignus, non recipiat testem criminis vel excommunicatum contra se, nec ipse contra illum in testem recipi possit: quod utique est absurdum.

ADNOTATIONES

IN TOMUM SECUNDUM ANACLETI REIFFENSTUEL.

ADNOTATIO I.

Lib. I. Decretal. Tit. XXXI, de Officio judicis ordinarii, § I, n. 8, pag. 2.

DECRETA RECENTIORUM CONCILIORUM DE PRIMATU PAPA.

Concilium Parisiense, anno 1849 celebratum, sic se habet: « In primis recordantes institutionem Christi qui suam ædificavit Ecclesiam super Petrum et ejus successores, et cum sancto Irenæo Romanam Ecclesiam eam esse agnoscentes ad quam oportet Ecclesias convenire propter potiorum ejus principalem, profitemur, secundum constantem Ecclesie traditionem, et sancti concilii Florentini definitionem, « sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem successorem esse beati Petri, principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesie caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur. »

» Quo dogmate præmisso, amplectimur omnes et singulas sancte Sedis apostolicæ constitutiones dogmaticas, uti et illas que universalem Ecclesie disciplinam respiciunt, specialiter que a conclusione concilii Tridentini usque in hodiernam diem prolata et promulgata sunt. Declaramus etiam ac docemus eas seculari sanctione non indigere ut, tanquam norma credendorum et conscientie regula, ab omnibus suscipiantur.

» Insuper salutaris regimini ecclesiastici regulis inherentes, hujus concilii provincialis decreta sancte Sedi, que singula expendat et recognoscat, unanimes sententia submittere statuimus.

» Sacerdotes autem et fideles sæpius monitos volumus ut, omni quidem tempore sed potissimum quando Ecclesia gravioribus quassatur tempestati-

bus, oculos suos ad illam Petri cathedram conver-

tant, in qua residet fidei soliditas, eminet suprema curiam potestas, et unde unitatis vigor per totum Ecclesie corpus diffunditur. » (Tit. I cap. 1).

Concilium Remense, eodem anno: « Inter tot et tanta errorum circumfusorum pericula, ut non simus sicut parvuli fluctuantes et non circumferamur omni vento doctrine, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, totis præcordis amplectimur sanctam Ecclesiam catholicam, que est columna et firmamentum veritatis, et contra quam porte inferi non prævalebunt.

» Et quoniam Christus ipse supra Petrum ejusque successores suam ædificavit Ecclesiam, profitemur cum sancto œcumenico concilio Florentino « sanctam et apostolicam Sedem... » ut supra.

» Convertamus igitur oculos ad Sedem beati Petri apostoli, qui est petra et crepido catholice Ecclesie, et recte fidei fundamentum (conc. Chal.); scientes magnum et indeficientem omnibus christianis fluentem redundantem apud Sedem apostolicam fontem consistere (Episc. Afric. epist. ad Theodorum Papam), et fidem Petri, qui in propria Sede vivit et præsidet, et fidei veritatem querentibus præstat (S. Petri Chrysol. epist. ad Eutychem.) nunquam defecisse nec usque in finem defecturam esse. Unde sequentes in omnibus apostolicam Sedem, in qua est integra et vera christiana religionis soliditas (Formul. *Hormisdæ*), et ei in omnibus consentientes, pro deposito fidei incorrupte custodiendo, acquiescimus et toto animo adheremus omnibus constitutionibus apostolicis novatorum errores damnantibus.

» Insuper falsis quorundam opinionibus obviantes, declaramus easdem constitutiones ab omnibus Christi fidelibus tenendas esse velut credendorum normam et conscientie regulam, independenter prorsus ab omni potestatis seculari sanctione; si quidem Ecclesie decreta, ex Christi institutione et secundum constantem fidei traditionem, proprio robore valeant. » (Tit. II, cap. 1).

Concilium Rhedonense, anno eodem: « In supremo ordinis ecclesiastici gradu, evangelica doc-